

Q.K. 386, 2.


ORATIO
DE PRINCIPE
EXEMPLIS
IMPERATORVM REGVMQVE
ROMANO GERMANICORVM
INFORMANDO
IN AVSPICIIIS
PROFESSORII MVNERIS



LIPSIAE A.D. XII. IUN. A.C.N. CICICCLI

PRONVNCIATA

A



IO. GOTTLLOB BOEHMIO

~~~~~  
LIPSIAE

LITTERIS IO. GOTTLLOB IMMAN. BREITKOPF

DEUTSCHE  
LITERATUR  
IN  
DREI BANDEN  
VON  
JOHANNES  
WILHELM  
VON  
GOETHE  
MIT  
EINER  
VORWORT  
VON  
CARLO  
GOETHE  
UND  
EINER  
SCHLUSSE  
VON  
J. W.  
V. G.

S E R E N I S S I M O  
P R I N C I P I A C D O M I N O  
D O M I N O  
F R I D E R I C O C H R I S T I A N O  
R E G I O P O L O N I A E E T M A G N I D V C A T V S  
L I T H V A N I A E  
P R I N C I P I  
D V C I S A X O N I A E I V L I A E C L I V I A E M O N T I V M  
A N G R I A E E T W E S T P H A L I A E  
E L E C T O R A T V S S A X O N I C I  
P R I N C I P I H E R E D I  
L A N D G R A V I O T H V R I N G I A E M A R C H I O N I  
M I S N I A E E T S V P E R I O R I S I N F E R I O R I S Q V E  
L V S A T I A E  
C O M I T I P R I N C I P A L I H E N N E B E R G I C O  
C O M I T I M A R C A E R A V E N S B E R G A E  
B A R B Y A E E T H A N O V I A E  
D Y N A S T A E I N R A V E N S T E I N C E T

D O M I N O S V O C L E M E N T I S S I M O





SERENISSIME PRINCEPS REGIE

DOMINE CLEMENTISSIME

**P**atere, pro incredibili T V O, erga litteras,  
fauore, ut altissimarum virtutum TVARVM  
etiam ego admirator adsim, impulsusque ar-  
gumenti magnitudine, Orationem, quam nuper, in Lipsien-  
sium choro Musarum, dixi, demississime T V O Genio con-  
secrem. HABES quidem, SERENISSIME PRINCEPS  
REGIE, quorum immortalibus factis, ad cuncta excelsa, in-

stitutus es, quorum unum exemplar, ad perfectionem, TIBI  
sufficit, PARENTVM PAR AVG VSTISSIMVM.  
Nec ingratum tamen fuerit TIBI, quae, coniuncta in IIS,  
splendidissima virtutum decora admiramur, tot in summis Im-  
peratoribus, diuis Maioribus TVIS, dispersa intueri. Mon-  
straris TV quoque, inter laudatissimos cultioris Europae  
Principes, atque insigne, quod geniti summo loco sequantur,  
exemplum praebes. Faxit Immortale Numen, ut, cum SERE  
NISSIMA CONIVGE, ac FILIO, PRINCIPE  
IVVENTVTIS, diutissime s̄os̄pes agas, Maiorumque  
TVORVM, ac PATRIA exempla, certantibus TVI  
cultu, populis porro exhibeas! Haec ut rata Superi  
vota habeant, enixissime precor,

## REGIAE CELSITVDINI TVAE

deuotissimus et obsequentiissimus

IO. GOTTLÖB BOEHMIUS



ORATIO  
DE  
PRINCIPE EXEMPLIS IMPERATORVM  
REGVMQVE R.G. INFORMANDO

---



Ita omnino est, MAGNIFICE ACADEMI  
AE RECTOR ILLVSTRISSIMI COMI  
TES CETERI AVDITORES SVIS  
QVISQVE DECORIBVS SPLENDIDISSIMI  
Habent exempla immensam vim in mortalium animis, ac longe  
potentius iis, blandiusque, quam tristi & imperioso praeceptio-  
num carmine, iubetur. Introspexere hoc non ille solum sa-  
pientis octauus, Seneca, sed, quibus cor sapiebat, cuiusuis  
aetatis homines: cognitumque, Auditores, exempla Miltia-

dis, tropaea Miltiadis, quam grande Themistocli virtutum pulcherrimarum fuerint incitamentum. Quippe, in ea quotiescumque, velut insatiabilibus oculis, intuebatur clarissimus sago heros, ardescet tuendo, excussoque adeo somno, pectus suum, acrioribus stimulis, ad gloriae studium, agitari intelligebat. Enim uero hoc tam breve, per exempla, tamque efficax iter ad laudum, virtutumque, lucida decora, non scholae Philosophorum, non Socratica domus, aperiunt: \* tuum hoc opus, hic labor est, dulcis, ante omnia, Historia, quam inde, digno te nomine, magistram vitae disertissimus Romuli nepotum adpellitauit. Per te namque, alto supercilio quae sapientes praecipiunt, posse omnino fieri animaduertimus. Per te, omnis exempli, insigniti virtute, aut dedecore, documenta, in illustri posita loco, conspicimus: conspectisque, si expeditat, ad imitandum accendimur, si foeda inceptu sint, foeda exitu, deterremur. Quamquam autem hoc Historia aequa terrarum dominis, ac priuatae fortunae homini, praestare utique soleat: ea tamen dignitas illius est, maiestasque, ut dudum, ab intelli- genti-

\*) SENECA L. I. Ep. 6. *Longum iter est per praecepta: breve, et efficax, per exempla.*

\*\*) IO. HENR. BOECLERVS

eruditam Dissertationem conscripsit de *Historia, schola Principum.* (inter Diff. iunctim editas, T. I. p. 1105. sqq.)

\*\*\*) Exstat MATTH. BERNEG

gentibus rerum, habita maxime sit *Principum Schola*\*\*, in qua vitae discant, quorum a nutu tot vita mortalium pendet: *Principum Speculum*\*\*\*, ad quod se, ingeniumque suum, sua omnia componant, quorum ad exemplum totus Orbis ocmponitur: *Principum Horologium*\*\*\*\*, ad quod, bene agendo, bene regendo populos, horas consumant, perditasque, ut ille Romanorum Imperator, existimat, in quibus nihil cuiquam praestitissent. Neque sane, historica institutio-  
ne, praestabilius quidquam fangi animo, excogitarique, in-  
formando Principi, poterat: cui, genito ad imperia, diui-  
nitus destinato sceptris regalibus, non tam dictata vmbra tici  
magistri convenient, quam vniuersi Orbis Principum, Re-  
gum, Imperatorum, clarissima exempla; qui, vt compendi-  
faciam rem, satis amplis doctoribus instruitur, maioribus  
suis. Hos itaque delectos heroas, Diuis permistos heroas,  
Princeps, humani generis decus, inde a tenero vngue,  
diligentissime videat: et ipse videbitur illis. Enimuero  
sedebat quondam non Romanis modo, (quidni enim  
his?) sed recentioris etiam aeui prudentissimis viris, haec

B

maxime

GERI *Speculum boni Principis*, s.  
Titi Flau. *Vespasiani Vita*, (Ar-  
gent. 1625.)

\*\*\*\* ANT. DE GVEVARRA com-

posuit *Horologium Principum*, s. de  
vita M. Aurelii, Imp. Libros III  
quos, ex Hispanico sermone, in Latini-  
num, translulit IO. WANKELIVS

## 10 ORATIO DE PRINCIPE EXEMPLIS

maxime opinio, altasque radices egerat, nullam rempubli-  
cam sanctiorem Romana fuisse, nec bonis exemplis ditio-  
rem: Principum Romanorum fuisse velut Diuum, in terris,  
concilium: eos vnos esse, tamquam Virtutis consummatissi-  
mum exemplar, aemulandos: eos nisi Princeps exscribat,  
exprimat, referat, actum, conclamatumque, esse. Igitur au-  
dita saepenumero vox, saepenumero aethera votum pulsabat:  
*Sis felicior Augusto, melior Traiano!* Modo Titum Vespa-  
sianum, delicias Deum, hominum que, ostentatum ad in-  
tuendum, imitandumque, vidimus: modo M. Aurelium, Phi-  
losophum inter Principes, Principem inter Philosophos; cu-  
ius sub imperio, ter fortunatum et amplius, ex veteri dicto,  
Orbem Romanum adpellaueris, quod Philosophus regnabat,  
et, qui regnabat, philosophabatur. At vero iactet se, osten-  
tatrix sui, Antiquitas! Non omnino priscis exemplis, sub  
alio sole quaesitis, ad virtutem, iuuentus summorum  
Principum indiget. Praesto sunt, Auditores, aequae  
praeclara Imperatorum, Regumque Germaniae, exem-  
pla\*: in quibus Religio, Martius ardor, ipsa Diuum soboles,  
Virtus, ipse, cum suis Musis, Apollo, velut induitos huma-  
nam

\*) Illa, tamquam in aliqua tabula,  
MATTH. CASTRITIVS ante ocu-  
los posuit, in eleganti libro, de he-  
roicis virtutibus, memorabilibus fa-  
ctis, dictis, et exemplis Principum  
Germaniae. (Basil. 1565.)

nam faciem, velut in vnum corpus, amico concentu, coali-  
tos, mirabundi se conspexerunt. Horum itaque maximo-  
rum imagines Principum olim regnator terrarum, mente, ac  
luminibus, hauriat! Horum virtutibus, terras, atque hominum  
genus, colat! Horum insistens vestigiis, aequo passu, coe-  
lum, post ingentia facta, repeat! Atque hanc rem tanti ope-  
ris, tam magni oris, quando consilium est, in hoc splendidissi-  
mo confessu Vestro, si veniam detis, oratione paullo copiosius  
exsequi, equidem ipse, quam sim vehementer Spartae ornan-  
dae impar, abunde intelligo. Conamur tenues grandia! Indul-  
gebitis tamen, si quid veri mens augurat, MAGNIFICE  
ACADEMIAE RECTOR ILLVSTRISSIMI COMI  
TES CETERI AVDITORES OMNIBVS ELOGIIS  
CONDECORATISSIMI indulgebitis magnis oratoris in-  
comti ausis, argumentumque dicendi, non e meo exili inge-  
nio, non e verborum nitore, quem ipse desidero, sed sua  
ipiusmet ex nobilitate, nec facundiae flumine explenda,  
metiemini!

Maxima sunt, nec, nisi a Principibus viris, heroum proge-  
nie, exspectanda, quae consulti sapientiae ciuilis summam Prin-  
cipalis virtutis constituant. Vastissimus campus, cuncta per  
spatia virtutum, effusis habenis, Principi decurrentus. Ad

## 12 ORATIO DE PRINCIPE EXEMPLIS

altissima illi culmina gloriae, negata vulgaribus animis via,  
 prius enitendum, quam augusta laude, atque arduis me-  
 ritis, aequet coelum, aureumque fidus astra, vt sic dicam,  
 perambulet. Immensi laboris foret, nec eloquendum, intra  
 datae mihi clepsydrae angustias, argumentum, si, libe-  
 riori egressu, ire per singula, numerosanque virtutem Princi-  
 pulum complecti, exiguo huius orationis ambitu, institue-  
 rem. Summa sequar rerum fastigia, virtutumque Princi-  
 palium maxima decerpam, quorum ad cultum Caesares Ro-  
 mano-Germanici, dicam, an tutelares salutis Germanicae  
 Genii, viam, laudatissimis exemplis, praeiuere. Vel pri-  
 ma frons Vestra, Auditores, suspensa admiratione immor-  
 talium Principum, luculento mihi esse indicio videtur, ex-  
 spectare Vos, ante omnia, dicturum, erga Deum, reue-  
 rentiam, reginam virtutum, cui reliquae omnes, quamquam  
 itidem dignae coelo, etiam in Principe, inclinantur. Diui-  
 nam profecto vocem, et, si non Principis, dignissimam  
 Principe! *Vbi non est sanctitas, pietas, fides, instabile regnum est\**. Imo collapsurum mole sua! Adeo, Dei in terris  
 Vicarii, Reges, Imperatores, adeo, quod Deo minores vos  
 geritis, imperatis, et, coelo propitio, imperastis. Hoc fulcro,

his

\* Vid. SENECA TRAGIC. in Thyest. Act. II. v. 216.



his fundaminibus stetit, aeternumque stabit, per damna, per caedes, incorcussum Romanum Imperium, sacrum Numinis Immortalis manifesto tutamine, sacrum insigni suorum Principum pietate, quam, dudum supergressam humana, suis sideribus se intulisse animaduertimus. Armauerat toties, (at meminisse animus horret,) armauerat in Christianae religionis iniurias, in perniciem nostram, pestes suas, ac infanda monstra, dira Orci inuidia. Saracenos, Turcas, tot alios superstitionum cruentissimos adseclas, velut e voraginebus suis, foedo prouentu, effuderat, vt, impiis armis, magis impio scelere, ipsam, cum re Christiana, virtutem exfcinderent, haurirentque. Apertum autem, Diui Augusti, quorum sub pedibus nubes et sidera, apertum sic vestrae pietati amplissimum theatrum, in quo ea se, quanta quanta, altissimarum virtutum stipata choris, exserat, atque, dimicando pro aris, triumphando, exemplum postgenitis coelestibus animis, quod sequantur, ostentet. Ostentat, Auditores, tot immortalibus factis, vt, quae dicam omnino, quae non dicam, vario sententia motu nutet. Emines enim uero, ac, inter reliquos, vertice toto supra es, Magne Carole, Sancti cognomen promerite\*, qui Occiduum Imperium altera manu,

B 3

ad

*\*) Historiam Canonisationis Caro.* FRANC. WALCHIUS V. C. edidit.  
i M. nuper admodum CHR. GVIL. (Ienae, 1751.)

## 14 ORATIO DE PRINCIPE EXEMPLIS

ad inuidiam felix, tenebas, altera, si fata coeptis adspicassent, Orientem complexus, tamquam vastissimae mentiuae, ac proferendae religionis studio, vnum Orbis capessendo non sufficeret. Mirarer ego nunc profusum, ante aras, rectorem hominum, templis donaria dedicantem, rebus diuinis, ipsas inter regales mensas, (incredibile dictu, nisi de tanto Imperatore!) operatum. Talem Caesarem venerabundus mirarer: ni mentem maiora percellerent. Quippe non satis habuit maximus Principum, suis in regnis, instaurata sacra diuiniora conspicere. Gentes quoque externas, Saxones, Saxones, inquam, deditissimos superstitionibus, aeterni Dei propiore adflari numine allaborabat, longe illis, apud antiquum Auctorem\*, absimilis, qui *ad Deos id magis, quam ad se, pertinere* pronunciant, *ipsos visuros, ne sacra sua polluantur.* Infelicissimos autem mortalium! quorum tam pertinaciter infixi pectoribus vani cultus haerebant, vt, sena per lustra, ipsis Mauortiistelis, aegre euelli ab stirpe possent. Iam vero, Auditores, plura conantem egregij Caesaris, celebranda omni aevo, facinora persequi pietas Ludouici Pii, in se, conuertit, maiori digna encomio, si, cum reliquis virtutibus regiis, Caesar coniunxit. Coniuncta sub Magni Otto-

\*) Vid. LIVIVS L. X. c. 6.

Ottonis imperio est: cui, de superstitione Venedica, sacer triumphus, cui suscitati, per tot prouincias, praesulatus, ac suis ornati beneficiis, aeternas lauros, ac summae paeconia gloriae, pepererunt. Tu porro, pios inter Imperatores, lucidissimum exemplar ades, Henrice, quem ipsum quoque, inter Coelites receptum, coli conspicimus. Adsunt Conradi III. Friderici I. ab ortu solis, ad cubile Hesperium, noti pietate: quam propter, prodigi magnae animae, longe alio terrarum in Orbe, Dei Seruatoris sacrato vestigiis, funestissima bella, immani cum hoste, animis aequa ac taedis furialibus armato, cum ipsis locis, ipsis cum elementis, bellare non detrectarunt. At enim tulit in primis foecunda Caesarum mater, Habsburgo-Austria, vti cunctis exaggeratos virtutibus, sic piissimos Principes: quorum inermis religio natas in sceptris mentes, primis ab annis, agitet, diuinisque flammis magis ac magis accendat. Quem vero, sancto in hoc Caesarum Habsburgo-Austriacorum, pietate insignium, choro, prius celebrare sumam, quam primum Rudolphum, Germaniae, per infausta Interregni dissidia, distractae in partes, alterum Thesea, dignissimum, inter Principes, habitum, qui Germanicam rem imperio vnu aequo regat. Tanta erat, Auditores, tamque insolita Rudolphina, erga Deum,  
reue-



## 16 ORATIO DE PRINCIPE EXEMPLIS

reuerentia, vt regni Proceribus populos, terras, imperia,  
 nouis Imperator, diuinitus datus, non sceptro, sed Crucis  
 imagine, conferret: tamquam auspicatissimo hoc Constan-  
 tini olim imperiis, ad triumphos, signo, terrarum domi-  
 nos, gentiumque, ad coelestia excitaturus. Credetis, Audi-  
 tores? Credite, exsultasse, ad hoc singulare pietatis Au-  
 gustae spectaculum, excelsa Aquisgrani moenia: exsultasse  
 Caroli Magni Manes, id quoque felicis, quod sanctae fidei,  
 quemadmodum regnum, successorem Rudolphum habue-  
 rit. Iam vero, post hunc laudatissimum Imperatorem, an-  
 te maxime, (quando omnes non licet,) Carole Quinte, com-  
 memorem, primo Carolo mentis excelsae dotibus par, et  
 secunde, maior ipretis maris, ac terrae, imperiis? An te,  
 Leopolde? eo religiosior Caesar, quo propior ipse Su-  
 peros contingebas: eo religiosior Caesar, quod, inter  
 posteros tuos, aeterna lege, tibi MARIAS THERE-  
 SIAS MARIAS JOSEPHAS (coelestia nomina!) fa-  
 torum benignitas destinasset. Intrauerat Quintum Caro-  
 lum, post regnata, inter vtramque solis domum, imperia,  
 post vindicatum, ab hostibus, mare, post infractos  
 Gallorum Titanios ausus, ea sola rerum diuinorum cura,  
 regnatoremque animum, humanis indomitum, adeo vni-

sibi



vni mancipauerat, vt maiestatem Caesar exueret, inque Hesperiae pio secessu, longe remotus ab soliis, ab diadematis splendore, inter sodales, sibi non purpurae, sed religionis, dignitate coniunctos, Deum, dominatorem Regum, vnicē veneraretur. Pientissimum Imperatorem! Ipsa hac humilitate sua; super orbis terrarum imperia, exaltatum! Ad coelum Vetustas laudibus ferat abdicatum Diocletiani imperium, exosi rempublicam, vt villis, et vernantibus pratis, delicatisque hortulis, intenderet mentem, triumphalesque manus, imperatorias manus, floribus serendis, legendis fertis, impenderet. Dignius omnino est aeternis paeconis, exutum Caroli V. regnum, solius pietatis, Deo gratissima, victima. Non exspectabitis nunc copiosius pietatis Austriacae, ac maxime Leopoldinae, elogium: quam, velut pensum nominis, familiaeque, longe, inter reliquas Austriacorum Caesarum virtutes, eminuisse, quisque intelligit.

Enimuero non desidem Regem, inter sacella, vt ait ille \*, atque aras, regnum acturum, Germanici Imperatores, exemplo suo, informant: sed cuius par gloria, certo foedere, sceptrā atque arma tractare; purpura, aequē ac paludamento, circumdatum conspici; aequē diadematis regii, ac

C

crista-

\* LIVIVS Histor. L. I. c. 32.

cristatae galeae, late fulgorem spargere. Non is ego sum,  
 Auditores, qui regium existimem esse, regna aliena bello  
 concutere, iractundis armis externa percellere folia, et, quam  
 longe iniuria sit, iniurioso pede, arcium, ciuitatum, ho-  
 minum, cadaueribus insultare. Prouocatus, Rex pius, Rex  
 fortis, piis armis, hostiles animos contundat: bellator instru-  
 at acies: pulsis hostibus, fugatisque, dissoluat triumphator.  
 Iam vero imperterritae ego fortitudinis Augustalia exempla  
 ostendere Principi, olim propugnatori regnorum, quando  
 ad praesens constitui, possem equidem, uno vocabulo Caesa-  
 rum, omnem virtutem militarem, cuncta heroica pectora, he-  
 roica facta, comprehendere. Hectores, Achilles, Alcidasque  
 tantum non omnes credatis fuisse, quotquot Dei, erga nos,  
 indulgentia, in augustissimo Germaniae folio, dominos  
 Orbis collocauit. Difficillimum oratoris officium, illo ex  
 heroum veluti populo, singulorum delectus. Ausim ta-  
 men in Vesta benevolentia, et, quamuis imbelli Musa, for-  
 tissimos belli duces, duces natos Christiani exercitus, Ger-  
 manicos Imperatores, dicam. Dicam iterum Magnos Caro-  
 los, Magnos Ottones: quorum illius eam virtutem fuisse  
 constat, vt, aequi velut soli impatiens, iuga Pyrenaea,  
 Alpiumque culmina, superauerit: illinc Saracenos fregerit,

hinc

hinc Vaticana palatia, ab Langobardorum ausis, intaminata  
praestiterit: et hisce adprime Ausoniis laureis, circa verti-  
cem triumphalem serpentibus, binas coronas innexuerit,  
Langobardicam, et multo splendidiorem, Romanam. Non  
memorauerim iam Carolinas, super Wittekindi atroci ani-  
mo, super Gotrici Dani, aliorumque, infestis destinatis,  
victorias: quando haud minores palmae, late brachia ex-  
ferentes, late populos refocillantes vmbra, fortitudini Ot-  
tonis, in ipsis maxime Balthici maris, ac Tiberinis, litto-  
ribus, succreuere. Atque huius cumprimis bellicis laudi-  
bus, pugnisque, Marte secundo, pugnatis, debes Germa-  
nia, quo reliquis praestas Augusta, Imperium, retentum  
ab inseguitis Caesaribus, auctumque, artibus iisdem, quibus  
quaesitum initio erat. Enimuero, Ottonis patrem, Henri-  
cum primum, quid, tanta iniuria, praeteruehimur? pulchrum  
in armis Principem, fortem consilio, manu promptissimum.  
Deuastauerat huc vsque miseras Germaniae terras effraenata  
Hunnorum barbaries: ferro, flammis, summa imis miscue-  
rat: iamque fisti vix posse videbatur, vsquedum, ex Saxon-  
icis Principibus, domitor monstrorum, Henricus, exfur-  
geret. Debellatum, ductu illius, ad Mersburgum, est,  
victore exercitatissimo milite, tot in posterum regnum



statore. Post ea tempora, referatae in primis a Conrado Salico, ferreae Iani portae, ac Burgundicum regnum, vetus Germanici Imperii portio, armis, quando pace non poterat, adseratum. Ad Danubium, et Draui fluenta, Henricus III. simillima patri proles, bello fulminauit, defunctusque fortissimi ducis, militisque, officio, hosti spolia opima detraxit, Romae tum in templo suspensa \*, non minore cum laude, quam quae prisci Romanorum duces Ioui Capitolino obtulerant. Neque Fridericos, Sueuicae Domus sobolem, in fortibus Caesarum Germanorum exemplis, filuerim: quorum tot in Italia, in longe remotioribus terris, praeclera gesta Annales concelebrant. Enimuero, quamquam fuerit huc usque Imperatoribus nostris prorsus egregia belli virtus, vere Martii spiritus, ut Bellicosos, Audaces, Animosos, aut, magis si vetera placeant, Soteres, Poliercetas, digne cognominares: Victoriosum tamen nondum Germania nouerat: an defraudatis iusta laude Principibus, dubito, an primus quod Habsburgicus Caesar talem elogii honorem meruerit? Rudolphum L designari intelligitis, Auditores, tantis quoque decoribus sagi insignitum, eum

Victo-

\* Vid. ILL. MASCOVII Com-  
ment. de rebus Imperii L. V. §. 23.

\*\* De statua equestri, RUDOL-  
PHO VICTORIOSO ab Argento-  
ratensi-

Victoriae aluminum, vt, quotiescumque, Teucro hoc duce, atque auspice, signa canerent, fere in epinicia clangor tubarum, ac litui sonitus, euaderet. Victoriosum Rudolphum\*! Rudolphum, tanta fortitudine sua, instauratorem Germaniae \*\*\*! Iungamus iam illi primum Maximilianum, omni encomio Caesarem superiorem, et Carolum, fulmen belli, Carolum Quintum, cuius sub imperiis, Germanica Aquila mare, ac terras, compescuit; vbique pugnauit; toties triumphauit: cui, tamquam Marti Vltori, ipsa adeo Gallia trepidauit, armis, animisque, Gallia superba. Quandoquidem autem non minor virtus est victoriis parcere, quam, debellandis hostibus, triumphos, e triumphis, ferere: ex utroque Caesar Carolus Quintus exstitit, Europae pariter triumphator, pacatorque. Iam denique, in bellicosis Imperatoribus, an quoque Leopoldum collaudem, quantumuis paciferae oliuae mallet ramos, victricibus laureis cumulatissimum? Fuit quippe tum tempus, Auditores, quo ad tesqua sua, inhospitalesque montes, repulsi Turcorum exercitus: quo, ad Turcicae Lunae labores, Orbis obstupuit: quo Galli ad Cannas suas, Hochstadium, trucidati: denique, quo, furibun-

## C 3

da

ratensibus olim posita, videsis FVG  
GERI Spiegel der Ehren des Hauses  
Oesterreich, p. 63.

\*\*\* Vid. IO. HENR. BOECLERI  
Diff. de Rudolphi I. Imper. Germaniae  
instauratore.

da, per Pannonias errans, Discordia extinguere faces ferales coepit. Nostis quidem, animum Leopoldi longe aptiorum artibus pacis, togaeque ornamentis, suisse: quibus, inter sui fastigii Principes, ut qui maxime, enitebat. At bellicae laudis quum magna pars, in capeſſendo consilio, in foederibus pangendis, in constituendis ducibus belli, confitat, hanc certe, ex summo Imperatore, Principes discant. Commissa tum militaria fortissimis omnis aetatis heroibus imperia. Ducti, paternis auspiciis, exercitus ipso a Iosepho, Victore Perpetuo: cui vni datum fuit, Rudolphina elogia aequare, facta heroica superare. Natus, educatus, regno, imperioque Germanico, inter arma et triumphos, potitus, in vtraque hac laudis arena primas tulit, ac ipſe quoque ſplendidissimum lumen, ad quod curſum virtutis heroum filii dirigant, accendit. Nondum per tot luſtra, detonuerant Germanico coelo bella. Per Belgium, euaginato gladio, Mauors graſtabatur. In Hesperiae oris, in campis Ausoniis, Bellonae stragibus, ac sanguine, litatum. Deploratas prouincias! niſi ſi Deus Iosepho confeſſiſſet victorias: niſi ſi nimium Deo dilectus Caesar fuſſet.

Sed fatis iam Marti, exemplisque Caesarum Martiis, datum, Auditores! Concedant nunc quoque arma togae, atque

atque recti amorem Principes, in Germanicis Imperatoribus spectatum, imitentur. *Vbicunque solum honesta dominanti licent, damnatissima vox Atrei, apud Senecam\*, est, precario regnatur.* Quasi vero impune quidlibet facere, id demum Regem esse, contendat. Regium est, in summa licentia, nihil licitum sibi aestimare, inque ciuium cauissis, ius atque aequum, pari libra, suspendere. Astraeam, lucidum decus fiderum, terris relictis, caede madentibus, ad coelum redisse, atque extrema, per fortunatos agricolas, fecisse vestigia, vetus fingendi licentia prodidit. Non redisse lubentius crederes, sed extorrem vbique, pulsam vbique sede sua, inter aulaea augustius hospitatam, si nostris Caesaribus regnatus iam Orbis fuisset. Quodsi oratoriis idem, qui poetis, mos esset, reuocatam a iustissimis Imperatoribus dicerem: quippe qui, vt dominam, pace belloque, reueriti sunt, vt comitem, alumnamque, complexi. Habuere olim Atticae Athenae Iustum Aristidem, eo ad prime elogio, per memores fastos, insignitum. Celebrat in Annalibus suis, prodiga cognomentorum, Gallia Ludo-ticum Iustum: incertum, rigidus iustitiae custos fuerit, an,  
*Felix, aequato genitus sub pondere Librae \*\*,*  
 illud

\* In Thyest. I. c. v. 214.

\*\* Ita de Augusto, sub Libra nato, MANILIVS L.IV. Conf. DE LA CER DA Comm. in VIRGIL. T. I. p. 204.

illud insigne encomium, fato quodam suo, acceperit. O!  
si tam nomina magna, et elogia, aucupati Germaniae Cae-  
sares fuissent, quam digna summis nominibus, elogiisque,  
facta cumulauerunt, hoc item Iusti cognomine insignes ha-  
beremus. Fuit profecto illis, ut quondam Romanis Imper-  
atoribus, peculiaris haec gloria, ut, quamuis inter arma  
regnarent, fas et iura diligentissime colerent, ipsi adessent  
iudiciis, ipsi ius saepissime, sanctissimeque, dicerent. Atque  
iudiciorum veterum facies vt cumque, similis Seculo, non-  
dum ad hunc composito cultum, nunc incondita, abhor-  
rensque videatur, monumento tamen indefesso studio sunt,  
quod iustitiae Imperatores Germanici, tamquam praecipuo  
regni fulcro, impenderunt. Est autem, inter Themidis vin-  
dices, celebratum maximopere, ut antiquiora praetermittam,  
Lotharii Saxonis nomen, cuius beneficio Bononiensis Le-  
gum schola, illa velut Italiae olim Berytus, effloruit. Ipsum  
Imperialis Iudicium Curiae, maiore auspicio, Frideri-  
cus II. constituit, iis nimirum temporibus, quibus, per no-  
strum scelus, leges altum siluerant, ac summa iniuria sum-  
mum ius visa. Agitabantur tum, per Germaniam, plusquam  
Cyclopia tempora: sua cuique dira libido ius faciebat, et  
dextra, et telum, quod missile vibrabat. Sed coercitum,  
iustissi-

iustissimi Imperatoris auxilio, ferocissimum nefas, ac, salutari illo instituto, via monstrata, qua penitus eliminetur scelus, et, cum iustitia, pietas, amor pacis, ac fides, aeternum mansurae, redeant. Nec mansere tamen prius, infestas terras, ac populos infestiores, exosae, quam primus Maximilianus gubernaculis publicae salutis admoueretur. Auspicatissimus itaque laboranti patriae aderat Caesar, quo primum gens ferrea desit: Caesar, a Deo conceitus, vt Germanicis populis felicia secula conderet. Intelligebat autem prudentissimus Princeps, absque cultu iustitiae, absque iudiciis rite constitutis, nullam vniquam Germaniae stabilem salutem fore: numquam exoptatius imperaturum se, quam Astraea si secum regnet, atque, edomitis belli priuati furiis, Pax aurea turres Principum, pauperumque tabernas, inhabitet. Et fuit tum tanta Caesaris, ac nostra, fortuna, vt, tentatum toties Imperatoribus, opus succederet, perpeccaeque tantas tempestates Germaniae ire candidior dies videretur. Exaequauit Maximiliani laudes Ferdinandus primus, tam strenuus iustitiae cultor, vt orbem terrae perire mallet, quam ius et aequum, vlla ex parte, negligere. Ab his itaque, ac ceteris, summis Caesaribus, seruantissimis iusti, exculta, lege ciuili, Germania fuerat. Militarem Maxi-

D

milianus



milianus II. adiecit, vt Martem quoque, flecti alioquin in-  
docilem, aequi praeceptis, ac iusti, adsuefaceret.

At vero iustitiae seueritatem nonnumquam clementia le-  
niat, oderintque Principes vitia, hominibus ignoscant. Regia  
res est, Auditores, ignoscere, multarumque rerum veniam  
dare, nullius petere. Neque ad similitudinem Superum,  
vlla virtute, Principes proprius accedunt, quam clementia,  
munificentia, benignitate. His quoque egregiis animi  
dotibus instructos fuisse Germaniae Caesares intelligimus:  
factumque praecipue primi Rudolphi, primi Maximiliani, ac  
Iosephi, clementia fuit, vt priscis temporibus ne Titum qui-  
dem suum, non tot alia benignissimae indolis exempla, in-  
uideamus. Iam inter reliquas summas virtutes, in Impera-  
toribus nostris conspicuas, Principes moderationem Sigis-  
mundi, Ferdinandique, ac, dignissimae patre sobolis, Maxi-  
miliani, sequantur, tot tantisque, per illas religionum tur-  
bas, documentis testatam. Ego vero, ne in immensum  
oratio diffundatur, haec, et cetera Imperatorum Germa-  
niae decora, religioso silentio, in praesens suspiciam.

Ecce! autem, dum haec ipsa pronuncio, aurem mihi Cyn-  
thius vellit, indignatus propositum, cui litterarum quoque  
amorem, numquam in Principe satis praedicandum, in-  
uoluere

voluere videor. Itaque extremum hunc mihi laborem concedite, Auditores, ac mecum Germaniae Caesares, Vestri praefides chori, reuerenter colite. Est hoc vtique comprobatum prudentum suffragiis, tantum Principes laudibus suis, aeternitatique, consulere, quantum artium, ac litterarum, studia foueant: tantum inter ceteros, sublimi fastigio positos, eminere, quantum doctrinae se gloria efferant. Nec dignati, inter laureas suas, et quercus, et reliqua corona menta, Romani maxime Principes formosas Musarum hederas sunt, ex quibus ciuicam iis oratores, poetae, doctarum frontium coetus omnis, necabant. Et, apud te quoque, literata Germania, Imperatores regnarunt, quorum eximiis factis ingens ornamentum, ex meliorum fauore artium, accessit. Illos igitur litterarum statores, illos Hercules Musagetas, accensus imitationis ardore, Princeps adspiciat, ante omnes, Carolum Magnum, in quo redditum sibi Augustum, illum que Aegypti litteratissimum Regem, nostri maiores crediderunt. Erat videlicet illi quoque, vt olim Augusto, Palatinus Apollo. Ingeniorum rempublicam, Bibliothecam \*, tanto maiori cum laude, considerat, quod, citra aeui illius exemplum, condidisset. Consecrauerat Musis, Parifina in

D 2

vrbe

\* Vid. 10. DAV. KOEHLERI V. C. Diff. de Bibliotheca Caroli M.

## 28 ORATIO DE PRINCIPE EXEMPLIS

vrbe, domicilium: per Germaniam Graecas scholas, Latinasque, aperuerat: in palatiis suis doctorum concilium hominum instituerat\*, cui ipse, inter ferta lyrasque, inter Flaccos, ac reliqua, Phoebo sacrata, pectora, praesidere, adsumto Salomonis nomine, dignabatur. Neque Imperialia otia Carolus, vlla in re gratius, quam in litteris, consumebat, illarum tanto amore captus, vt ad perscribendam Teutonici sermonis Grammaticam, ad illa velut arbusta doctrinae, demitti se pateretur. Proximos honores, in his Caesarum doctorum exemplis, Ottoni III. demus, id ipso Carolo Magno maiori, quod, litterarum ob studium, inaudito elogio, *Mirabilia Mundi*, cognominaretur. Nihil tam abditum, ea aetate, in artium adytes, erat, quod intentatum Caesar omitteret, neque ex Gerberto, claro tum laude ingenii viro \*\*, perdiscere cuperet. Et quantum eximium eruditio[n]is suspexerit decus, in ornando hoc praeceptore suo ostendit, quem ad summi Pontificatus fastigia euectum, ab eo, fuisse constat. Collocauerim porro, in litterarum statoribus, Henricum III. ac Lo-

thari-

\* Litteraria societas fuit, quales  
hodieque, adprime in Italia, florent.  
Adscititia nomina socii, vt Carolus  
Salomonis, vt Alcuinus Flacci,  
praeferebant. De Alcuino erudite  
IO. GUIL. BERGERVS exposuit in

binis Dissertationibus, *de eruditione  
Saxonis Carolini*. Ipsum litterarum  
statum, qui Carolinis temporibus  
fuit, eleganter descripsit LE BOEUF  
dans son *Traité de l'état des sciences  
dans l'etendue de la Monarchie Fran-*

tharium Saxonem. Sed fortunatum Camenis adprime Friderici II. imperium fuit, tanti studiorum fautoris, ut nemini, in hoc genere laudis, concesserit. Parum beata Optimo Caesari sua Neapolis videbatur, quamquam Bacchi ac Cereris certamen, nisi restitutas, in ea, Sicelides Musas conspiceret. Restituit, Auditores, Academia condita: utque maiora canerent, beneficiis excitauit. Nec in castris hanc litterarum curam amantissimus vtriusque Palladis Caesar depositus. Victor Ducus Austriaci, domicilium iis, media inter arma, stabiliuit: singulari victoriae experimento, ut, quum bello eueri artium sacra conspicias, is bello aut instituerit primum, aut instituta amplificauerit. Vindobona est, tot ornamentis excelsa Caesarum sedes, quam studiis Fridericus, tanto prodigo, consecravit: velut coelesti praeuiderit monitu, regnaturos ibi Augustos, artium et litterarum benignissimos statores. Iam tu, docta Vindobona, beneficium scientiarum Friderico gratissima imputes, tuis Caesaribus incrementa. Friderico Italia, omnis Germania, resuscitatas opti-

D 3

mas

*soise, sous Charle-Magne. (Par.  
1734.)*

\*\* Vid. KOELERI Diff. de eximio,  
in medio aevo, Philosopho, Gerber-  
to, etc. Tam infolita scientiarum  
cognitione imbutus Gerbertus fuit, vt

rude seculum magicae artis illum ex-  
inde incusauerit. Quam maculam lau-  
di eius absterit FABR. NAVDAEV<sup>S</sup>  
dans son Apologie pour tous les grands  
personnages, qui ont été faussement  
soupçonnés de Magie, c. 19.

mas artes imputet: et, imputare se, laudibus profiteatur! Sed quibus te, Carole Quarte, elogiis decorem? Quid prius, ad imitandum, Principibus monstrem? Doctrinae, linguarum, diuites copias? An Pragensem Academiam tuam, illum Bohemiae oculum? An vitae tuae Commentarios, quamquam non pari, cum Iuliis, facundia, certe maiori fide, ab te, compositos? Cuncta disertiores depraedicent. Cuncta Principes aemulentur. Porro, Auditores, Friderici III. tempora, et utriusque Maximiliani\*, quando respicimus, quando Rudolphum II. addictissimum studiis Caesarem, propensumque Leopoldi, in ea, animum, mente recolimus, o! quam nouus rerum, exemplorumque, mihi ordo panditur! Qui fauor litterarum! Quae praefidia artium! Quales successus! Quanta vnde immensarum laudum materies! Inuitus haec, ore nostro indista, praetereo: ut praeteream tamen, ingenii mei, ac, in dicendo, tenuitatis, conscientia me mouet.

Quid vero? Qui maxima Caesarum summorum exempla, in hac splendidissima concione Vestra, differui; qui religiosissimos Imperatores, pace ac bello praestantissimos

hero-

\* De Maximiliani II. inusitato, erga litteras, fauore, insignis locus est  
PALLAVICINI apud IO. HENR.  
BOECLERVUM de rebus Seculi XVI.

p. 578. *Fama erat, ea aetate, plures, in Maximiliani Caesaris aula regnare litteratos, quam aliorum omnium Principum Orthodoxorum*

heroas, memorare sustinui, DIVOS CAROLOS, et, praesens  
 Orbis decus, FRANCISCVM, illaudatos omisi. Heu! quan-  
 to piaculo, Auditores! Sed desistite succensere piae vere-  
 cundiae, cui filere visum satius fuit, quam pauca, et infac-  
 cunde, dicere. O! mihi si, par rebus, eloquii copia, fe-  
 licitasque ingenii, contingat, TVAS praecipue laudes pro-  
 mam, AVGUSTISSIME CAESAR. Dicam Augustarum ex-  
 emplar, AVGVSTAM TVAM, quam, TE cum vna, diutissime  
 populis Deus conseruet, sero in coelum reposcat! Celebra-  
 bimus TE porro, FRIDERICE AVGVSTE Rex Regum  
 Optime, Indulgentissime Principum! cuius virtutes, sine  
 exemplo maxima, dudum in exemplum iuere. Ego vero  
 quas TIBI cumulatissimas laudes, TVIS ornatus immorta-  
 libus beneficiis, debeo, conceptis, pro TVA salute, fortu-  
 naque, votis compensabo.

Regnes felix! Regnes diutissime! TIBI quem dedit Nu-  
 men Coeleste, animum perpetuo seruet! TE cum, dignissimam  
 TE tori regalis Consortem, CLEMENTISSIMAM REGINAM  
 sospitet! Laetus viuat Serenissimus Princeps Regius, FRIDE-

RICVS

regiis seruire: Imperatore Augstante, et laureata illa Austriadum  
 Athenaeum Oratoribus, Lycaeum Heroum domo omnis generis laureas  
 Philosophis, Poetis Parnassum, Are- progerminante.  
 opagum Iuris peritis, magnifice aperi-

AK Th 1309 X 2374687

32 OR. DE PRINC. EXEMP. INFORMANDO

RICVS CHRISTIANVS cum SERENISSIMA CONIVGE  
quae porro spem patriae, Sua foecunditate, alat! Perstet inco-  
lumis, ac duratura, omne per aeuum, SAXONICAE DOMVS  
felicitas, Saxonicarum prouinciarum salus!

Denique, Beneficentissime Deus, quando iusta et aequa  
rogamus, tuis muneribus faueas, hancque Academiam,  
virtutis, ac litterarum, sacrarium, stabilem, florentemque  
ingeniis, tueare! Saluam, cum Patribus Academiae, doctri-  
na, et meritorum amplitudine, inclitis, iubeas esse Musarum  
prolem, dilectissima mihi pectora! quorum ego me com-  
modis, desideriisque, sollemini hac die, deuoueo.



nc

B.I.G.

Black

3/Color

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



A.K. 386, 2.

In  
1309


ORATIO  
DE PRINCIPE  
EXEMPLIS  
IMPERATORVM REGVMQVE  
ROMANO GERMANICORVM  
INFORMANDO  
IN AVSPICIIIS  
PROFESSORII MVNERIS



LIPSIAE A.D. XII. LVN. A.C.N. CICICCLII

PRONVNCIATA

A



IO. GOTTLLOB BOEHMIO

LIPSIAE

LITTERIS IO. GOTTLLOB IMMAN. BREITKOPF

